

Die Urkunden Karls des Großen, 66

Karolus gratia dei rex Francorum vir inluster apostolicis ducibus comitibus domesticis tam ultra quam citra Renum vel Ligerem consistentibus tam presentibus quam et futuris. Illud ad augmentum vel stabilitatem regni nostri sine dubio in dei nomine credimus pertinere, si petitionibus sacerdotum vel ecclesiarum dei de rectis postulationibus, in quo nostris auribus patefecerint, perducimus ad effectum. Ideoque vir apostolicus Weomadus sancte ecclesie Treverice episcopus preceptionibus predecessorum anteriorum regum, parentum nostrorum, vel dive recordationis domino et genitore nostro Pippino quondam regis eorum manibus roboratas nobis protulit recensendas, ubi generaliter cognovimus esse insertum, [quod] antecessoribus suis talis fuisse iam a longo tempore indultus beneficius, ut nullus ex iudicibus publicis in curtis ipsius ecclesie Treverice sancti Petri et sancti Maximini peculiaris patronis nostri seu basilicas infra ipsam urbem constructas vel monasteria vicos castella ad eadem aspicientes ingredere non presumant aut aliquo ibi generare detrimento nec homines eorum per mallobergiis nullus deberet admallare aut per aliqua ingenia presumeret condempnare neque freta vel thelonia exigere aut alias paratas facere, sed in eorum privatas audientias agentes ipsius ecclesie unicuique de reputatis condicionibus directum ficerent et ab aliis simulque perciperent veritatem et, ubi fidem ipsi agentes aut reliqui homines memorare ecclesie accipiebant, freti ad ipsa loca sanctorum deberent Christo presule proficere; pari modo et si homines eorum pro quolibet excessu cuicumque fredum exsolvebant, fredum, qui exinde in publico exsperare potuerant, ad ipsas ecclesias fuisse concessum. Unde petiit suprascriptus pontifex, ut eum suamque ecclesiam vel monasteria castella vicos ad eadem aspicientes de hac re deberet plenius [nostra] auctoritas in dei nomine confirmare. Cuius postulationem pro divino intuitu vel reverentia ipsarum ecclesiarum seu loca sanctorum vel fidei sue respectu vel mercedis nostre augmentum gratante animo prestitisse et in omnibus confirmasse seu et a novo concessisse cognoscite. Iubentes nam precipimus, ut, quidquid constat tam in villabus domibus edificiis mancipiis vineis silvis campis pratis pascuis pascuariis aquis aquarumque decursibus, accolabus utriusque sexus vel status cum integro termino solidoque statu earum ex munificentia regum vel reginarum aut id, quod per venditiones commutationes cessionesque titulis vel per quilibet strumenta cartarum ad ipsas ecclesias sancti Petri et sancti Maximini vel ad supradictas ecclesias, que sub ipsa urbe Treverica vel [in] parrochias ipsius pontificis constructas esse noscuntur, fuit delegatum et ad presens pars ipsarum [ad] loca sanctorum cernitur possidere vel dominari, per hanc auctoritatem nostram in id ipsas ecclesias vel memorato pontifice aut abbatibus suis vel successoribus suis plenius in dei nomine confirmatum atque concessum [esse cognoscite]. Precipientes enim [iubemus], ut neque vos neque iuniores seu successores vestri in curtis ipsius ecclesie vel memorato pontifice aut abbatibus suis vel monasteria castella seu et vicos tam ultra quam citra Renum et ultra Ligerem vel ante prefatam civitatem Trevericam aut in pagos parrochias monasteria seu castella vicos vel omnibus ecclesiis ad easdem aspicientibus freda vel thelonia exigendo [vel] coniectus aut aliquos paratos faciendo vel qualicumque ingenio aut aliquo detimento generando penitus ingredere non debeatis, quia volumus, ut, quod a nobis vel antecessores nostros fuit concessum circa memoratas ecclesias domino Petro vel sancto Maximino seu prefata monasteria castella vicos parrochias vel abbatibus suis, qui ad ipso pontifice aspicere videntur, perenniter maneant inconvulsa, qualiter ipsius pontificis seu clero vel pauperibus alimoniam ibidem sperantibus plenius delectet pro stabilitate regni nostri domini misericordiam attentius exorare. Et dummodo per anterioris preceptionis [ipsa

emunitas] a longo tempore precedentium regum semper fuit observata, et nos [ad] presens pro anime remedio vel retributione eterna in id ipsa ecclesia sancto Petro et sancto Maximino pro nostra preceptione firmavimus atque a novo concessimus, [ut] quicunque [hoc] de iudicibus nostris aut quislibet refragare aut irrumpere vel emutare voluerit, iram dei omnipotentis et omnium sanctorum, ubi ipse pontifex vel abbates sui deserviunt, iccurrat et gratia nostra nullo umquam tempore possit habere, sed magis a vobis vel a successoribus vestris sub integra emunitate omni tempore in omnibus conservetur, qualiter gratia nostra ut diximus, vultis habere propicia. Quam vero auctoritatem pro rei tocius firmitate, ut omni tempore maneat inconvulsa, manu nostra signaculis infra decrevimus in dei nomine roborare et a pontifice vel a leudis nostris subter iussimus adfirmare, ut semper hec preceptio nostris et futuris deo auxiliante temporibus stabilis et conservata in omnibus esse debeat.

Signum Karoli gloriosissimi regis.

Datum quod fecit kal. apr. anno IIII regni nostri; actum Theodonovilla palatio publico; feliciter amen.